



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque  
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Quomodo distractiones nos occpent ac decipient

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](#)

*Quomodo distractiones nos occidunt ac decipient.*

**Q**uoad modum, quo nos infestant, experientia docet, ab iis ex improviso nos occupari, & sensim à nostro proposito divertiri. Quandoque advertenter illis cedimus, et si quasi inviti ob nimiam illarum importunitatem. Quandoque verò magna ex parte nostra intercedit ignavia, quæ facit, ut illis locum demus, id quod non potest fieri sine peccato veniali plus aut minus notabili: Verùm necessariò advertendum est, una ex parte interiorē recollectionem esse rem adeo teneram, ut nisi nobis probè propiciamus, minimā re turbari possit; ex alia parte, si quando incautè alicui distractionum occasione locum dedimus, fideliter valde eis resistendum esse, ubi animo nostro obversabuntur.

*Duo pun-  
cta notatu-  
digna.*

*Quomodo distractiones sint re-  
jicienda.*

**U**bi primum ergò quis distractum se esse animadverterit, subito ad se redeat, humiliter à Deo veniam petat, cœptamq; orationem necesse est prosequatur meliori, quam ante, resolutione absque eo quod multum consideret, unde nam diversæ cogitationes istæ nasci potuerint: multò enim satius est citius eas relinquere, absque aliquo conflictu & cor fortiter atque affectuosè ad Deum convertere. Corde enim ad officium suum restituto, ac voluntate novo desiderio vacandi propositæ orationi instructâ, cæteræ potentiaz facillimè reducen-